



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

109. Quotuplicis generis sint Vicarii in beneficiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

seu ejus Vicario confirmatam. Laym. *ad c. 1. de off. Archipresb.* tales vero quoad jurisdictionem fori interni sunt Vicarii parochiarum, quorum item aliqui jurisdictionem seu curam animarum ordinariam habent, in rellige secundum exercitium, seu utilem, non directam; ut Laym. *ad c. 1. de off. Vicarii in 6.* alii jurisdictionem seu partem jurisdictionis delegatam, qui dici solent cooperatores parochorum: Tertia eorum, qui ab homine ita constituuntur, ut jurisdictionem non diverfam, sed eandem habeant cum constituente, quamvis alio modo, nempe cum dependentia ab eo, qui licet ordinariam jurisdictionem sibi concessam habeant, nullum tamen in ea jus vel titulum obtinent; sed veluti operâ locatâ deserviunt, ideoque temporales sunt & amovibiles, & propriè dicuntur substituti in eadem jurisdictione. Laym. *l. antè cit. n. 1.* Huc spectant Vicarii Generales in Spiritualibus Episcoporum, quos jurisdictionem habere ordinariam, & non delegatam, vide probatum apud Laym. *loc. cit. n. 2.* His omnibus accedunt Vicarii in beneficiis, de quibus in præsentî,

*Quaestio 109. Quotuplicis generis sunt Vicarii in beneficiis?*

**R**espondeo: esse duplicis generis; alios temporales, alios perpetuos: Abb. *ad c. extirpanda. de præb. n. 5.* Barb. *loc. cit. n. 2.* Temporalis Vicarius dicitur ille, qui auctoritate alicujus in locum alterius ad tempus, vel ad voluntatem constituentis sufficitur; nimirum in officio beneficii, Azor. *p. 2. l. 3. c. 6. q. 1.* Barb. *loc. cit. n. 50.* & Vicaria temporalis, quæ ad tempus, non in perpetuum duratura est; scilicet usque dum cesset causâ, vel elapsum sit tempus, ob quam, vel utque ad quod talis Vicaria concessa est. Barb. *ibidem.* Vicarius perpetuus dicitur, qui auctoritate Ordinarii constituitur in beneficio curato, v. g. unito in perpetuum alicui Cathedrali, alterive Ecclesiæ, Collegio, monasterio, beneficio &c. ita ut nec ipse Ordinarius adimere ei possit administrationem, nisi ex causis legitimis in jure expressis. Azor. & Barb. *loc. cit.* Vicarios istiusmodi perpetuos minus propriè dici Vicarios ex eo, quod omnis cura in eos transfusa sit, gerantque administrationem auctoritate juris independenter à Rectoribus principalibus & directis (et si non nisi per respectum ad Rectorem principalem vocentur Vicarii; cum Vicarius sit nomen ad aliud. *Egyd. decis. 701. n. 3.* apud Corrad. & supponat jus habituale parochialitatis in alio. C. Luca *de decimis. d. 11. n. 5.*) asserit idem Corrad. *l. 3. c. 9. n. 10.* ex Lott. *l. 1. q. 33. n. 110.*

*Quaestio 110. Qualiter Vicario perpetuo competat nomen Rectoris?*

**1.** **R**espondeo primò: venire tales Vicarios perpetuos quandoque nomine Rectorum, & nomina Rector, Vicarius perpetuus, tanquam synonyma confundi, unumque pro alio poni. Corrad. *n. 13.* Barb. *loc. cit. n. 27.*

**2.** Respondeo secundò: Vicarium perpetuum curatum, et si non sit propriè Rector Ecclesiæ, dici tamen propriè ac verè Rectorem curæ animarum. Lott. *loc. cit.* Barb. *n. 26.* citans Abb. *in c. ex parte. de off. Vicar. n. 3.* seu esse Rectorem actualem in administratione curæ animarum; dum interim solus Rector habitualis est verè & propriè sponsus Ec-

clesiæ: unde & percipit fructus dotis; Vicarius autem reputari solet tanquam minister pro solo exercitio, pro cujus etiam salario seu mercede participationem solum aliquam obtinet emolumentorum, ac fructuum loco congruæ. de Luca *in Missel. d. 29. n. 6.* Sed neque ratio perpetuitatis inducat curato Rectorem, seu jus proprium independentem; sed solum jus quoddam quasi famulatus irrevocabile. de Luca. *de parochis. d. 17. n. 5.*

**3.** Respondeo tertio: ex Lott. *l. 1. q. 20. n. 122. & seq.* docente, quod si simplex exercitium curæ (quod aliàs non ita ac cura ipsa seu jus parochiæ exigat demandari per intitulationem in ipsa Ecclesia, sed absque ea committitur ad tempus amovibiliter) committatur in perpetuum, ac ita fiat intitulatio in exercitio; eum, cui committitur, dici Rectorem ac verum parochum; citatque pro hoc Innoc. & Host. *in c. cum non ignoret. de præb. cum vi istius intitulationis perpetuæ Ecclesia destinata esse parochialis superiori immediato, fiatque parochialis Vicario.* Lott. *ibidem n. 24.* citans *tex. clem. 1. de off. Vicarii.* & Bellamir. *conf. 38. n. 4.* (modò tamen emolumenta parochiæ non fuerint, seu remaneant reservata alteri; hoc enim casu intitulatio non cecidisset super alio, quàm simplici exercitio; Lott. *n. 125.* certissimum enim hoc est signum, judicandi, ad quem jure proprio cura pertineat, nempe ad eum, qui decimas, funeralia, &c. per se percipit. Lott. *n. 126.* citans Abb. *in c. pastoralis. de his que fiunt à pralato n. 2.* & Felin. *in c. dilectus. de offic. Ordinar. n. 1.* Quamvis apud talem Superiorem semper remaneat cura habitualis, adeoque per hoc non dissolvatur conjugium illud spirituale inter eum & Ecclesiam semel per se ipsum contractum; Lott. *n. 127. & 128.* intelligendo tamen id de habitu originali, non de præsentiali; quia in effectu considerato statu de præsentî, cura ipsa actu & habitu est penes Vicarium. Lott. *n. 129.* Idem ferè docet Barb. *loc. cit. n. 16.* nimirum dum certa portio monasterio vel Collegio Canonicorum, cui Ecclesia parochialis unitur, reservatur, & reliqui fructus cedunt Vicario, ipsum Vicarium censeri debere principalem; secus dum Vicario assignatur certa portio ceteris fructibus, seu emolumentis relictis monasterio.

**4.** Respondeo quartò: in dispositionibus, quæ de Rectoribus Ecclesiarum meminerunt, ex proprietate sermonis, præcipuè in materia pænali, odiosa & exorbitante, non comprehendi Vicarios perpetuos.

*Quaestio III. Quæ vicariæ habeant, quæ non habeant rationem beneficii Ecclesiastici?*

**1.** **R**espondeo primò: Vicarias perpetuas in parochialibus esse vera beneficia Ecclesiastica. *c. postulasti. de rescriptis,* ubi dicitur: *non enim cavere beneficio dici debet, cui competenter de Vicaria perpetua proventibus est provisum.* Garc. *p. 1. s. 2. n. 93.* Less. *de jure & just. l. 2. c. 24. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 6. q. 5.* Barb. *loc. cit. n. 18.* Omnia enim, quæ ad beneficium constituendum requiruntur, in Vicaria perpetua reperiuntur. Barb. *ibidem,* eaque portio, quæ tali Vicario ex annuis beneficii (intellige principalis) proventibus detracta destinatur, beneficium judicatur. Azor. *loc. cit.* Habent etiam Vicarii perpetui jus & verum titulum in Ecclesia. *c. ad hac. de off. Vicar. Gamb. de off. legari. de lat. l. 6. tit. de dispens. n. 10.* Gonz. apud Barb. etiam si in solo exercitio

citio